



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

De Promotoribvs Et Notariis Concilii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

federe debeant in naui inferioris ecclesie in medio ante gradus thalami vel tribunalis a dextris & a sinistris, secundum quod in aliis Conciliis sunt soliti federe: protonotarii autem, auditor contradictarum, & corrector, locum habeant quemadmodum in Conciliis aliis habuerunt, videlicet in primis superioribus gradibus thalami vel tribunalis, aut paulo altius, prout in nonnullis Conciliis obseruatum extitit. Si vero in loco Concilii, vel forte alibi praterderint se debere precedere archiepiscopos, episcopos, cum per ipsos archiepiscopos & episcopos, & plerumque alios contrarium asseratur, ne ex hac contentione aliqua suboriatur in Concilio discordia, sanctissimus dominus noster auditis quæ partes ambæ voluerint allegare, qui vnico contextu omnia eorum iura producant, vna cum sacro collegio dominorum cardinalium, quod iustum & rationabile fuerit, decernet. Generales vero ordinum mendicantium, oratores vniuersitatis studiorum, subdiaconi, auditores palatii, & auditor camera, clerici camera apostolica, aduocati consistoriales, procuratores episcoporum & prælatorum absentium, procuratores capitulorum, doctores & licentiati locum habeant prout in Constantiensi & Basileensi Conciliis habuerunt & tenuerunt. Et nihilo minus per sanctissimum dominum nostrum sacro approbante Concilio fiat decretum vel ordinatio, quod per antelationem vel postpositionem nulli ecclesie vel prælato, regi aut principi, seu communitati aliquod ius acquiratur, vel etiam præiudicium generetur.

Nu. XXVI. DE PROMOTORIBVS ET NOTARIIS
CONCILII.

ET quia non sufficit vnicus promotor in sacro Concilio, auisarunt domini deputati necesse fore vnum alium promotorem eligi debere per sanctissimum dominum nostrum, qui sit persona representationis & doctor, aut licentiatus in altero iurium, & in generalibus Conciliis versatus. Item quod deputentur duo notarii bonæ famæ, digni & experti in actibus conciliaribus, qui vna cum aliis duobus iam per dominum sanctæ crucis deputatis, scribant acta seu gesta Concilii, sintque rogati de his quæ in hoc sacro Concilio conciliariter fient & agentur, & non

ANNO
CHRISTI
1438.

debeant extra aliquid manifestare, nisi prius fuerit visum & visitatum per deputandos ad hoc exercitium, ne de eadem re contingat varia & diuersa instrumenta dari vel fieri.

DE MATRICVLA CONCILII.

Num.
XXVII.

VT autem euitetur omnis confusio, & sciantur patres, qui ratione huius sacri Concilii ad hunc se locum transtulerunt, auisarunt prædicti domini vtile fore & expediens, quod omnes patres hic iam congregati, & ceteri venturi, in vno libro per aliquem vel aliquos deputandos matriculentur & describantur.

DE NOVA PRÆLATORVM
VOCATIONE.

Num.
XXVIII.

LICET autem in translatione Basileensis Concilii ad hunc locum Ferrariæ generaliter omnes prælati, & ii qui de iure vel de antiqua consuetudine in generalibus Conciliis interesse tenentur, fuerint euocati; nihilo minus vt numerus patrum eo in hoc loco sit maior, quo quæ tractanda veniunt, ardua sunt & præcipua, auisarunt domini prædicti vtile fore & necessarium, vt fiat vocatio prælatorum, in specie scribendo per prouincias singulas archiepiscopis, vt vna cum eorum suffraganeis iuxta certum tempus præfigendum debeant in hoc sacro Concilio conuenisse. Et nihilo minus addere in hac requisitione, quod non obstante hac termini pendentia, sanctissimus dominus noster vna cum sacro Concilio non desistet a prosecutione eorum quæ iam inchoata sunt, & potissime circa reductionem, iuxta exigentiam rerum occurrentium pro vtilitate vniuersalis ecclesiæ & totius populi Christiani. Similiter, quod vocentur reuerendissimi domini cardinales.

Die Martis vndecima mensis Februarii, supradicto reuerendissimo domino Iordano episcopo Sabinensi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali pro solenni congregatione in capella supradicta tenenda præsidente, de mane iuxta intimationem die hesternæ in valuis, siue portis palatii apostolici, ac maioris ecclesiæ Ferrariensis, nec non monasteriorum ciuitatis Ferrariensis generaliter factam, compa-

Nu. XXIX.